

ditantur, pingunt aut alia similia peragunt, nisi haec fiant interruptim, aut ita ut attentionem non omnino impediunt (11). — S. Lig. n. 317. — V. *Casus*, n. 343. et seq.

PUNCTUM III. — *De loco debito.*

Quaestio duplex est circa locum audiendae Missae: 1^o An praecepto satisfieri possit in Oratoriis privatis? — 2^o An sit obligatio assistendi Missae in parochia, seu Missae parochiali?

I. *Quoad Oratoria privata.*

348. — Oratoria privata sunt Sacella in domo privata erecta ex privilegio a summo Pontifice concessa, ut ibi peragantur divina Mystera. — Non censentur vero privata, sed publica sunt habenda ea Oratoria, quae legitime erecta sunt in seminariis, monasteriis, seu domibus Religiosorum vel Monialium, aliarumve communitatum, ut in conservatoriis, carceribus, nosocomiis, et etiam in domibus Episcoporum. Imo aliquando Oratorium in domibus privatorum haberi potest ut publicum. Sed ad hoc requiritur, 1^o ut ingressus in viam publicam pateat; 2^o ut nulli subiaceat servituti Iure canonico reprobatae; 3^o ut in perpetuum cultui divino addicatur; 4^o ut redditus ad divina Officia sufficientes statuatur. — V. S. Lig. n. 319., etc.

Certum est, satisfacere praecepto audiendae Missae in Oratorio privato omnes, qui in Indulto comprehenduntur, nempe dominum Oratorii cum suis et familiaribus, qui eius servitio addicti sunt (12). Excipiuntur dies

(11) Non facile tamen eiusmodi attentio, quae satis sit, confabulatione solet impediri; quia, ut Auctor in resol. praec. advertit, ad plura simul licet aliquanto remissius, homo potest attendere. Hinc Salmanticenses (*De Sacrif. Missae* cap. 6. n. 50.) a mortali excusant, si confabulatio sit discontinua et per parvam Missae partem, vel non de re seria, sed de levi, quae non impedit attentionem necessariam, sed solum facit remissionem; unde concludes, sic peccari quidem irreverentia, sed satisfieri praecepto.

Notandum insuper, quod habet Suarez (*De Eucharist. disp. 88. sect. 3.*), nimirum *pravam intentionem adiunctam voluntati audiendi Missam, non esse*

*contrariam impletioni huius praecepti, si aliunde non excludat sufficientem attentionem. Itaque quamvis quis eat ad Ecclesiam ex libidinosa intentione videndi feminam, vel etiamsi officio Missae cum eadem intentione assistat, tamen si non excludat voluntatem implendi hoc praeceptum ecclesiasticum, et sufficienter sit attentus, implet illud. Eadem habes apud Lugo (*De Euch. disp. 22. n. 23.*)*

(12) Hoc intellige non de omnibus familiaribus, sed de illis tantum, quorum praesentia in oratorio tempore Missae est necessaria; hoc enim clare eruitur ex Indulti formulis, quae videri possunt apud Gatticum (*De Orat. Priv. cap. 25. n. 23-24.*)

festorum praecipuorum, nempe Paschatis, Pentecostes, Natalis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, Assumptionis, festi S. Petri, et Omnium Sanctorum; item Annuntiationis, Ferae V in Coena Domini (Decr. S. Rit. C. 17 Nov. 1607), et S. Titularis Ecclesiae (Decr. S. C. Conc. in Derthon. 17 Febr. 1685); — et his quidem diebus prorsus interdicitur in eiusmodi oratoriis celebrare. — S. Lig. *de Euch.* n. 339. — Gardellini. — Nulla tamen dies excipitur, quando Oratorium a Pontifice infirmitatis causa conceditur.

Non satisfaciunt autem extranei iuxta communem sententiam cum S. Lig. n. 319. — Constat enim ex verbis Indulti, quod ordinarie sic sonat: *Volumus, ut qui de familia non sunt, non censeantur liberi ab obligatione audiendi Missam in Ecclesia.*

QUAER. *An teneatur dominus uti privilegio, si Ecclesiam adire non possit?*

Resp. Affirm. iuxta S. Alph., si Sacerdotem commode habere valeat; quia (ait) curare tenetur, ut Sacerdos adsit ad celebrandum, quo scilicet tum ipse, tum alii, qui vi privilegii praecepto satisfacere in Oratorio possunt, sacrificio Missae non fraudentur. Alii tamen *negant* ex eo principio, quod nemo privilegio uti tenetur (13). — *Alia plura de Oratoriis privatis vide in Tract. de Eucharistia, ubi de loco Missae celebrandae.*

In definiendo tamen cuiusmodi esse debeat haec *necessitas*, seu quinam familiares dicendi sint tunc *necessarii*, potiusquam a S. Alphonso, qui paulo severior videri queat, ab ipso Gattico, qui ex professo de hoc argumento scripsit, et cuius opus pluries Romae fuit excusum, licet definias.

(13) Ipse Gatticus utrumque primae opinionioni adhaereat, fatetur tamen (cap. 20. n. 36.), si pluribus Doctorum suffragiis res definienda sit, hanc secundam praevalere. Caeteroqui vero horum Doctorum rationi, scil. *privilegia mere personalia pro luitu deseri aut usurpari posse, nihil solidi habet, quod respondeat. Et haec Doctorum ratio a fortiori in praesenti casu valet, cum de privilegio agatur per se odioso, legi communi adverso, et reverentiae Sacramenti parum conforme, quo nemo uti cogitur, ut aiunt Salmanticenses (Tr. 5. c. 6. n. 61.) post Suaresium (De Euch. disp. 88. sect. 6. §. Secundum caput), et advertit Gobat (Tr. 5. n. 350.),*

cum celebrare in loco non sacro repugnet multis Canonibus. Et hinc facilis se offert responsio ad Card. De Lugo, qui (De Euchar. disp. 22. n. 14.) arguere conatur ex comparatione huius privilegii cum privilegio Bullae Cruciatæ, vi cuius potest quis Missae assistere tempore Interdicti. Optime observat Diana (tom. 4. Tr. 2. res. 85. Edit. Coord.) disparem esse rationem casum inter et casum. Nam in casu Interdicti, sublato impedimento, nulla fit dispensatio in iure communi; nam Missa et dicitur et celebratur, ut debet et solet: at in hoc casu sublato impedimento, non celebratur Missa, ut regulariter et ordinarie celebratur, quia extra Ecclesiam dicitur.

S. Alphonsus (lib. 3. n. 319.) ad quaestionem. *An aliquando teneatur dominus uti privilegio Oratorii etc.*, respondet: *Merito affirmant teneri dominum, si commode sacerdotem habere potest, Pasqual., Gattic., et P. Fortu-*

II. Quoad Missam parochialem.

349. — I. Certum est, exstitisse olim obligationem assistendi Missae parochiali, saltem semel *tribus Dominicis continuis*; constat ex antiquissima et universali consuetudine Ecclesiae, innumeris Decretis Conciliorum particularium confirmata, praesertim Conc. Eliberitani, can. 21., an. 343.; Sardicensis, can. 14. et 15., an. 347.; item, ex Bened. XIV., de Syn. lib. 11. c. 14. n. 7.

II. Certum est iuri antiquo derogatum fuisse partialiter per privilegia Regularibus concessa, etiam post Conc. Trid. Constat praesertim ex Con-

natus a Brixia... Hinc, ut etiam recte ait P. a Brixia cum Nugnez. Pasq. et Gattic., tenetur privilegiatus, si commode potest, providere de sacerdote non solum sibi, sed etiam aliis de familia, si quis eorum nequit ad Ecclesiam accedere.

Melius autem mentem suam S. Doctor explicat (ibid., n. 324.), ubi scribit: *Recte autem docet Busebaum, et est commune... quod habens privilegium Oratorii non teneatur sacerdotem conducere, ut Missam ipse audiat.* Ergo quod antea (n. 319.) dixerat, *si commode potest, intelligendum videtur, nisi sacerdotem debeat conducere.* At enim paulo infra scribit: *Idem (idest probabilius teneri) dicendum puto cum Collet, si cum modico stipendio possis conducere sacerdotem.* Quae non satis consona videri possent cum eo, quod *recte doceri, et esse commune* prius dixerat.

Quicquid de hoc sit, facta quaestione (ibid.), *quid si Missa iam dicatur gratis, vel facile gratis haberi possit*, respondet: *Probabilius teneri dicunt Collet, et Croix cum Lugo, Tamburini, et communiori, ut asserit.* Et seite S. Doctor addit illud, *ut asserit*, scil. Croix (lib. 3. p. 1. n. 736.); quo enim fundamento Croix sic scripserit, non satis apparet, nisi forte huc accersiverit id, quod alli dicunt de habente *Bullam Cruciatæ* tempore interdicti.

Caeterum hoc certum haberi debet, contra communissimam sententiam affirmari, quod ulla adsit obligatio conducendi sacerdotem. Et sane cuinam unquam venit in mentem, si sermo sit non quidem de Oratorio privilegiato, sed de Ecclesia, ad quam solam quis possit accedere, in qua tamen Missam non habeat, nisi ipse stipendium det celebranti, cuinam (inquam) venit in mentem, istum ad sacerdotem sic inveniendum teneri, ut ipse aut quispiam alius de familia Missam audire possit? Recte de hoc Tamburini (lib. 4. c. 2. §. 2. n. 4.): *Hoc praeceptum obligat solum ad audiendam Missam non vero ad illam peculiari stipendio procurandam.* Quinimo Gobat (l. c. n. 352.) affirmare non dubitat, nec teneri quempiam *ad inducendum precibus Mystam, ut tibi legat Sacrum, quo possis satisfacere legi.*

Etiamsi vero praescindamus a circumstantia alicuius stipendii solvendi, illud sedulo considerandum venit, opinionem, quae obligationem imponit, etiam iuxta suos patronos, finibus mere probabilitatis contineri. Imo Card. De Lugo (l. c.) licet de habente Bullam Cruciatæ ageret, satis habuit affirmare, opinionem suam non posse improbabilitatis etiam practice notari. Porro ex principio, quod S. Alphonsus tantopere tuetur et inculcat, mera probabilitas ad asserendas et imponendas fidelibus obligationes nullo modo sufficit.

stitutione *Pii V.* (Etsi mendicantium, an. 1567.), ubi dicitur: *Christi fideles audiendo Missam et alia divina Officia in Ecclesiis Fratrum huiusmodi (mendicantium) diebus Dominicis et festis, praecepto Ecclesiae satisfacisse censeantur.*

III. Certum est autem eidem iuri antiquo universaliter derogatum esse generali consuetudine contraria dudum legitime praescripta. Constat 1^o ex testimonio plerorumque theologorum; 2^o praesertim ex Benedicto XIV., de *Synod. dioec.* l. 11. c. 14., ubi asserit, Decretis Conciliorum et summorum Pontificum obligationem statuentibus derogatum fuisse contraria consuetudine; imo Episcopum poenis adigere non posse subditos ad Missam neque ad concionem in parochia audiendam, sed tantum illos exhortandos esse, et ideo Constitutiones Episcopi Midensis hac de re latas ex sacrae Congregationis Conc. Trident. sententia reformatas fuisse.

350. — QUÆR. *An in Gallia urgeat adhuc praedicta obligatio?*

Resp. Neg. Ratio est, quia ius antiquum penitus abrogatum est consuetudine universali, quae constituit quoddam ius commune, contra quod insurgere nequeunt Episcopi, ut declaravit Benedict. XIV, ibid., et proinde si insurgant propria auctoritate, *illicite et invalide* agunt, cum potestatem ipsis a Canonibus traditam excedant. — Ita Gousset, *Justification de S. Lig.* n. 355., et in *Theolog.* n. 555. — Bouvier, de 3^o Praec. art. 3. — *Rit. Bellicense*, etc. Et sic declaravit Concilium *Remense*, anno 1850 celebratum, t. 3., c. 6., cui plura alia recentiora Concilia Galliae in hoc consenserunt.

Equidem fideles valde adhortandi sunt, ut Missae parochiali et concionibus frequenter intersint; sed sub obligatione ad id non sunt adigendi; attamen a culpa excusari nequeunt fideles cuiusvis regionis aut nationis, qui instructione christiana necessaria carentes, aliisque mediis ad eam curandam destituti, semper aut plerumque Missae parochiali interesse negligunt, in qua tantum instrui possunt.

§. II. De causis a Missa excusantibus.

351. — Excusat a Missa audienda quaevis causa mediocriter gravis, seu quae involvit mediocre quoddam incommodum vel damnum in bonis animae vel corporis proprii vel proximi. Constat ex communi interpretatione et consuetudine, quae est optima legum interpret. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 324.

Resolves. — 1^o Excusantur aegroti, infirmi, convalescentes, quibus nocet foras prodire. Item qui infirmos custodire debent. — S. Lig. n. 325.

2^o Excusantur viatores, quibus non occurrit ubi Sacro intersint aut

qui non possunt iter interrumpere, propterea quod rhedarii publici, vel socii viae, sine quibus iter incommodis aut periculo non careret, sistere abnuunt.

3^o Excusantur, qui custodiunt gregem vel domum, aut qui cibos parare debent, aut similia necessaria peragere; si tamen plura fiant Sacra, omnes, quoad fieri potest, Missam successive audire debent. — S. Lig. n. 326.

4^o Excusantur matres et nutrices, quae neminem habent cui relinquunt parvulos, nec eos ad Ecclesiam ducere possunt sine magna adstantium perturbatione. Si sint duo coniuges tantum, alternis vicibus Sacro interesse convenienter poterunt. — S. Lig. ibid. (14).

5^o Excusantur saepe, qui ab Ecclesia longe distant, ita ut ad eam accedere sine magna difficultate praesertim hiemali tempore non possint.

6^o Excusantur famuli, si ministerium suum omittere non possint sine gravi detrimento domini, aut si ab eo prohibeantur, nec alium dominum facile invenire queant. Sedulo tamen curare debent, ut impedimenta removeant, si possint. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 327. — Reuter, n. 288.

352. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *Quaenam distantia excuset a Missa?*

Resp. Non potest absolute assignari, sed ex adiunctis personarum, locorum et temporum determinanda est. Regulariter autem excusat distantia trium milliarium, seu iter pedestre unius horae cum quadrante, atque etiam quid minus, si plueret aut ningeret, aut alia causa adesset. — S. Lig. n. 329.; *Hom. apost.* n. 41.

353. — **QUAER.** 2^o *An excusetur a Missa infirmus in dubio, utrum incommodum sit satis grave?*

Resp. In hoc casu standum est consilio medici, Superioris, Parochi, Confessarii, vel alterius viri prudentis. Imo potest infirmus etiam iudicio proprio acquiescere, si ita prudenter iudicet. Quid vero si, petito consilio, dubius adhuc remaneat? — Absolute ad Missam non tenetur, quia stante periculo gravis damni iudicandum est, matrem Ecclesiam non obligare. — *Ita valde probabiliter* ait S. Lig. n. 325. — In praxi satius est, ut dispensatio petatur, si facile peti possit.

(14) Addit S. Alphonsus (lib. 3. n. 330.): *Excusantur viduae ratione luctus, et etiam filiae et sorores.* Quoad temporis spatium addit, non extendendum usque ad mensem, cum S. Carolus mensem tantum permiserit. Subdit tamen, quod *si alia esset consuetudo in aliquo loco, non esset damnanda de peccato gravi.* Et

merito; nam si ratio excusandi est consuetudo, haec pari modo pro mense, ac pro longiori tempore valere debet. Illud unum obscurum est, cur excusationem restringat ad limites *peccati gravis*. Nam si vere viget eiusmodi consuetudo, non apparet, cur etiam a *culpa levi* non excuset.

QUAER. 3^o *An excuset occasio lucri notabilis faciendi?*

Resp. Affirm. probabiliter, quia praecepta Ecclesiae non obligant cum incommodo valde gravi, ut constat ex dictis in Tract. de Leg. n. 100. Sed huiusmodi lucrum extraordinarium esse debet. — S. Lig. n. 332. — Elbel, n. 368. — V. *Casus*, n. 347. et seq.

CAPUT II.

DE HIS QUAE DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS PROHIBENTUR

Agendum 1^o de operibus diebus festis prohibitis; 2^o de causis ob quas aliquando licite exercentur.

ARTICULUS I. — DE OPERIBUS QUAE DIEBUS FESTIS PROHIBENTUR

354. — Triplicis generis opera distinguenda sunt: 1^o opera *servilia* seu corporis (1), quae a servis seu mercenariis fieri solent, 2^o opera *liberalia* seu animi, quae a personis liberis ordinarie exercentur; 3^o opera *communia* seu naturalia, quae ab omnibus indiscriminatim fiunt. Distinguuntur etiam opera *forensia*, quae ad forum iudiciale aut mercatum spectant. — S. Lig. n. 272.

355. **Principia.** — I. Prohibentur *per se* sub gravi omnibus fidelibus opera servilia proprie dicta diebus festis integris, id est, toto die naturali, de media nocte ad mediam noctem. Constat ex Iure canonico, c. 3. *de Feriis*, ex consuetudine et praxi perpetua Ecclesiae (2).

II. Prohibentur etiam opera forensia, nempe actiones forenses, quae cum apparatu iudicali habentur, ut partes interrogare, testes et advocatos audire, sententiam ferre, etc. Ita ex Iur. can. ibid. (3). Excipe tamen,

(1) Opera *corporis* intellige, quae et utilitati corporis serviunt, et corporis potius, quam animi viribus exercentur. Opera vero *animi*, quae potius animi viribus peraguntur, et ad animum potius excolendum pertinent. Quae tamen distinctio ad definiendum, *quid liceat aut non liceat*, non admodum confert. Hac enim in re plurimum deferri debet consuetudini, quae etiam fit, ut quae alicubi licite peraguntur, alibi nota et offensione non careant.

Interim illud generatim praestitui debet, rationem operis *servilis* nec ab intentione desumendam esse, nec a luero percepto, imo neque a corporis defatigatione. Ita servile erit arare alterius agrum, quamvis

ex mera charitate id fiat, et prorsus gratis; contra non erit servilis pulsatio organorum, aut saltatio, utut diuturna et laboriosa, aut transcriptio lucri causa per totum diem protracta.

(2) Ecclesia tamen, uti benigna mater, ut divinum cultum cum temporali fidelium utilitate conciliaret, subinde aliquibus locis indulset, ut quibusdam diebus festis post auditam Missam opera servilia exerceri possent. — Vid. S. Alphons. (lib. 3. n. 268.).

(3) Imo ex iure canonico (c. *Conquestus* 5. *De Feriis*) actus iudiciales habiti die festo declarantur irriti.

Excusat porro tum *necessitatis*, ut A. subdit, tum etiam *pietatis* causa. Neces-